

- 1 "Non te nullius exercent numinis irae;
2 magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus
3 haudquaquam ob meritum poenas, ni fata resistant,
4 suscitat et rapta graviter pro coniuge saevit.
5 Illa quidem, dum te fugeret per flumina preeceps,
6 immanem ante pedes hydrum moritura puella
7 servantem ripas alta non vidit in herba.
8 At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
9 implerunt montes; flerunt Rhodopeiae arces
10 altaque Pangaea et Rhesi mavortia tellus
11 atque Getae atque Hebrus et Actias Orithyia.
12 Ipse cava solans aegrum testudine amorem
13 te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
14 te veniente die, te decedente canebat.
15 Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
16 et caligantem nigra formidine lucum
17 ingressus manesque adiit regemque tremendum
18 nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
19 At cantu commotae Erebi de sedibus imis

- 20 umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,
21 quam multa in foliis avium se milia condunt
22 vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
23 matres atque viri defunctaque corpora vita
24 magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
25 impositique rogis iuvenes ante ora parentum,
26 quos circum limus niger et deformis harundo
27 Cocytii tardaque palus inamabilis unda
28 alligat et noviens Styx interfusa coerct.
29 Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
30 tartara caeruleosque implexae crinibus angues
31 Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora
32 atque Ixionii vento rota constitit orbis.
33 Iamque pedem referens casus evaserat omnes;
34 redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
35 pone sequens, namque hanc dederat Proserpina legem,
36 cum subita incautum dementia cepit amantem,
37 ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes.
38 Restitit Eurydicenque suam iam luce sub ipsa

39 immemor heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
40 effusus labor atque immitis rupta tyranni
41 foedera, terque fragor stagnis auditus Avernus.
42 Illa, Quis et me, inquit, miseram et te perdidit, Orpheu,
43 quis tantus furor? En iterum crudelia retro
44 Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
45 Iamque vale: feror ingenti circumdata nocte
46 invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!
47 dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras
48 commixtus tenues, fugit diversa, neque illum,
49 prensantem nequiquam umbras et multa volentem
50 dicere, praeterea vidit, nec portitor Orci
51 amplius obiectam passus transire paludem.
52 Quid faceret? Quo se rapta bis coniuge ferret?
53 Quo fletu Manis, quae numina voce moveret?
54 Illa quidem Stygia nabat iam frigida cumba.
55 Septem illum totos perhibent ex ordine menses
56 rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
57 flesse sibi et gelidis haec evolvisse sub antris

- 58 mulcentem tigres et agentem carmine quercus;
59 qualis populea maerens philomela sub umbra
60 amissos queritur fetus, quos durus arator
61 observans nido implumes detraxit; at illa
62 flet noctem ramoque sedens miserabile carmen
63 integrat et maestis late loca questibus implet.
64 Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.
65 Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem
66 arvaque Riphaeis numquam viduata pruinis
67 lustrabat raptam Eurydicen atque inrita Ditis
68 dona querens; spretae Ciconum quo munere matres
69 inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi
70 disceptum latos iuvenem sparsere per agros.
71 Tum quoque marmorea caput a cervice revulsum
72 gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
73 volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua
74 ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat:
75 Eurydicen toto referebant flumine ripae".